

& Limburgi, uxorem duxit Elizabetham Ducissam Lutzenburgi, ex qua filios suscepit Ioannem, maritum Iacobæ Comitissæ Hollandiæ, & Philippum, ambos Brabantia Ducem. Antonius cum fratre natu minimo Philippo Valesio periit in bello Gallico ad Teroanam anno CIO CCCCXV. Filii Antonii sine liberis postea extincti, patrum *Joannem Valesium* heredem reliquerunt. *Joannes* igitur *Valesius* qui *Intrepidus* dictus est, quum esset è fratribus natu maximus, anno CIO CCCCIV patri successit, auctusque Fratrum Nepotumque obitu multis & amplis ditronibus, misere & præter fas trucidatus est anno CIO CCCCXIX a Carolo Delphino propter Ducem Aurelianensem, cum quo capitales inimicitias & quidem apertas quamdiu vixit, susceperat. Liberos reliquit Philippum, Margaretam, Isabellam & Catharinam. *Philippus* cognomento *Bonus* vel *Pius*, XXI I ætatis anno Patri suo successit in Ducatu Burgundiæ, Comitatu Flandriæ, Burgundiæ, Artesiæ, Marchionatu Imperii, Salinarum & Mechliniæ: Hic Atrebatum cum Carolo VI & cum Duce Aureliano pacem contraxit, eumque è carcere in quo annos jam XXV ab Anglis detentus fuerat, liberavit, soluto insuper pretio redemptionis, & sorore Maria ipsi in uxorem data. Hic obitu Theodorici Comitissæ Namurcensis factus est ejus Comitatus hæres: obitu Philippi, auctus est Ducatibus Brabantia, Lotaringia & Limburgi: obitu Iacobæ, Comitibus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ. Ducatus quoque Lutzenburgicus ei accessit ab Elizabetha, Antonii Patru sui Vidua. Ita factum est, ut unius Philippi Boni imperio subiectæ fuerint amplissima & opulentissima Provincia Burgundiæ utriusque, Brabantia, Limburgi, Lutzenburgi, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Frisiæ, Mechliniæ & Marchionatus Imperii. Vxorem is habuit Isabelam Portugalliæ Regis filiam: vixit annos LXXI, obiit anno CIO CCCCLXVII uno Filio tot Provinciarum hærede relicto *Carolo Audace*, qui non tantum patrium Imperium servavit, verumetiam auxit, adjuncta Geldria, Zutphania & Ducatu Iuliacensi. Atque hic est Carolus ille *Caroli V* Abavus nati anno MD ex Ioanna Ferdinandi Regis Aragonum filia, Philippi Austriaci uxore: qui Philippus filius fuit Maximiliani Austriaci, ex Matre Maria Filia Caroli Audacis. Sub his Provinciæ quæ antea plures Dominos habuerant, conjunctæ, in unum quasi corpus coaluerunt, atque hodie communi Belgicæ vel Inferioris Germaniæ nomine censentur. Bello autem jam olim nobiles Belgæ. Cæsar I Commentar. de bello Gallico libro, omnium Gallorum eos vocat fortissimos. Sic enim scribit: *Gallorum omnium fortissimi sunt Belgæ: propterea quod a cultu atque humanitate Provincia longissime absunt, minimeque ad eos sæpe Mercatores commeant, atque ea quæ ad effæminandos animos pertinent, important: proximique sunt Germanis qui trans Rhenum incolunt, quibus cum continenter bellum gerunt. Quæ de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis præliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.* Horum quantum robur quantumque libertatis defendendæ studium fuerit, ex eo cognosci potest, quod Romanorum Imperium summa vi avertere etiam C. Cæsar tempore annixi sint. Itaque contra ipsos copias distributim cōscripserunt. Bellovacum LX M armatorum; Sueffiones LM. Nervii (quorum adeo fuit indomita feritas, ut nunquam in id temporis Mercatores passi sint ad se Vina aut res alias venales deferre) etiam LM. Atrebatum & Ambiani XM. Morini XXV M. Menapii IX M. Caleti XM. Velocasses & Veromandui æque XM. Aduatici XI IX millia. Condrusi, Eburones, Camani XI millia. Ut summa fuerit